

» consequens est ut per aliquas res sensibiles significatio
 » Sacramenti impleatur : sicut etiam per similitudinem sensi-
 » bilium rerum in Divina Scriptura res spirituales nobis
 » describuntur. Et inde est, quod ad Sacramenta requirun-
 » tur res sensibiles &c.

§. VI. Demum Ecclesia ne hilum quidem valere docet
 Sacramentum Baptismi sine aqua, Confirmationis sine ma-
 nus impositione, Eucharistiæ sine pane triticeo, & vino vi-
 tis &c. ergo absolute necessaria est Sacramenti materia. Idem
 demonstrari posset ex *Florentino in Decreto Eugenii IV. ex*
Tridentino sess. 14. c. 3.

S C H O L I O N.

Illud hic experimur, nullos esse hæreticos sive vete-
 res sive recentiores, qui Scripturis non abutantur ad pro-
 prium errorem confirmandum. Opposuerunt *Pauliciani*, Judaï-
 sum sapere res sensibiles ad Dei cultum assumere. Quid
 sibi volunt ista egena elementa? dicebant illi. Nonne Do-
 minus dicit *Joannis IV.* Spiritus est Deus, & eos, qui ado-
 rant eum in Spiritu & veritate, oportet adorare? nonne
 clamat *Apostolus Rom. 14.* Non est Regnum Dei esca &
 potus: quibus verbis omnem Sacramenti materiam a Jesu
 Christi Ecclesia eliminandam docet. Verum *Paulicianis* di-
 cere possumus: Erratis nescientes Scripturas; idem enim est,
 imo minus fortasse malum Scripturas nescire, ac illarum
 veritati adulterino sensu obstrepere. Primo quidem, ut lo-
 quitur *S. Thomas loc. cit.* res sensibiles, ut in sua natura
 considerantur, non pertinent ad Regnum Dei, sed solum,
 secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus
 Regnum Dei consistit. Deinde Christus Dominus Samari-
 tanam mulierem alloquens. In spiritu, inquit, & veritate
 oportet adorare Deum: in spiritu, ut vetustæ legis sacri-
 ficia, & Judæorum legales cæremonias excluderet: in verita-
 te, ut falsa Samaritanorum dogmata damnaret. Alioquin,
 si *Paulicianorum* interpretatio valeret, totum externum cul-
 tum, lege ipsa naturæ probatum, Servator noster abrogasset.
Apostolus tandem, Regnum Dei, quod intra nos est, non
 con-